



supplicia differri debuisse, et contra ordinem fuisse, si rei post latam a iudice sententiam confestim morti addicerentur. Verum ex omnibus his locis ab Idsinga adlatis nihil aliud efficitur, nisi addictis ultimo supplicio esse interponendae prouocationis copiam humanitatis consideratione, vt Imperatores *d. L. 29. C. de adpellat.* loquuntur, eaque interposita, supplicium differre iudicem oportere, nisi tales sint, quos, vt ait Modestinus *d. L. 16. D. de adpellat. damnatos statim puniri publice interest, vt sunt insignes latrones, vel seditioను concitatores, vel duces factionum.* Quod quidem nemo vnquam negauit. Vbi autem neque ipse reus, neque illius nomine alius prouocauerit, quod illico post sententiam fieri debebat, nulla iudicibus necessitas differendi supplicii incubuit. Quorsum enim illa dilatio, cum, vt *L. 1. §. ult. D. de quaest.* et *L. 15. C. de poen.* habetur, poenam sua dictam sententia iudici neque mutare, neque reuocare liceat? Igitur postquam semel condemnatus est reus capitis, iam de eius fortunis transactum est, et nihil commutare licet: sed potestas capitis mancipata est in manum carnificis, vt cum Apuleio *Metam. Lib. X. p. 242.* loquitur Schultingius *d. l. §. XXI.* Quam quidem rationem, a Cuiacio aliisque prolatam, licet Idsinga concedat; non tamen ex ea recte colligi contendit, sententiam capitalem semel dictam, adpellatione ad iudicem superiorem facta, rescindi non posse, ad quam interponendam, et petendos libellos dimissorios spatium triginta dierum reo indultum sit *L. 24.*

D

C. de